



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 27. Parisiensis Senatus decretum contra Clementis X. Constitutionem de Regularium privilegiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

§. XXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1670.*Parisiensis Senatus decretum contra
Clementis X. Constitutionem de
Regularium privilegiis.*

Die vigesima prima Junii Clemens
Papa X. Constitutionem, quæ in-
cipit: *Superna magni*, edidit, ac die
secunda Augusti promulgavit, in qua
Regularium privilegia quoad prædica-
tionem Divini Verbi, & administratio-
nem Sacramenti poenitentiae explicans,
ac confirmans, in paragrapho quinto
statuit, eos, qui *Religiosis Mendicantibus
simpliciter approbatis paschali tempore con-
fessi fuerint, constitutioni, quæ incipit, om-
nis utriusque sexus quoad confessionem
duntaxat satisfecisse censendos, & antea,
Religiosos semel simpliciter approbatos posse
in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni
tempore etiam paschali, & quorumcunque
etiam infirmorum confessiones audire absque
ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia.*
Cum autem Franciæ Episcopi anti-
quum morem in eorum Diœcesibus in-
valuisset obtenderent, ut Paschali tem-
pore sine Parochorum consensu fidelium
confessiones excipere, Regularibus Sa-
cerdotibus non liceat, hinc ad Præs-
ulum preces Parisiensis Senatus hanc
Pontificis Constitutionem promulgari
inhi-

*Bull. magn.
Clem. X.
Const.
Argentre
l. c. pag. 138.
& 338.*

Sæc. XVII. inhibuit. Ita sensim in Parilini Senatus arbitrio erit Pontificiæ Constitutionis obtemperare vel non, ac demum quicquid hic præscripserit id Orbi Galliarum lex erit, Episcopis quondam amare deploraturis, quod iterato ad Laicæ Tribunal recursum eidem suam auctoritatem in ipsos Episcopos, resque sacras extendendi obtentum dederint.

§. XXVIII.

Scipionis Elcci Cardinalis obitus.

*Eggs supp.
Purp. doct.
p. 591.*

Sede adhuc vacante hoc anno die decima Aprilis Romæ decessit Scipio ex Comitibus Elcciis, Patritius Senensis. Erat ei ex primævo naturali beneficio acutum ingenium, rara memoriæ felicitas, & ingenuæ modestior candor: quapropter ad quævis munus digne obeunda aptus censebatur. Huc Juvenis utriusque, ut vocant, signaturæ Referendarius, Firmanus Pretor, ac postea Pientinus Episcopus, ac demum Pisanus Archipræsul nominabatur. Rexerat hanc Ecclesiam viginti duos annos summa vigilantia ac prudentiæ, pietatisque laude. Eggerat quoque Sedis Apostolicæ Legatum ad Rempublicam Venetam, & Ferdinandum III. Cæsarem, a quo tanti habitus, ut ad ejus preces Romanæ Purp.